



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilium Grateleanvm, Ab Athelstano Rege Anglorvm habitum, circa  
annum Domini DCCCCXXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

ANNO  
CHRISTI  
918.

CONCILIVM GRATELEANVM,  
AB ATHELSTANO REGE ANGLORVM  
habitum, circa annum Domini DCCCCXXVIII.

*In quo leges plurimæ, cum ciuiles tum ecclesiasticæ, statuuntur:  
prætermis vero illis, collector has concinnauit.*

TITVL CAPITVLORVM.

- |   |   |
|---|---|
| I. <i>De decimis reddendis, paupere<br/>alendo, &amp; eleemosyna e regiis<br/>prædiis annuatim eroganda.</i> Ll.<br>Sax.in procemio. Iorn.cap. i. | bus. Ll. Sax. cap. 23. Iorn. cap.<br>30.  |
| II. <i>De irruptione in ecclesiam.</i> Ll.<br>Sax. cap. 5. Iorn. cap. 10.   | VI. <i>De rerum emptione in die do-<br/>minica.</i> Ll. Sax. cap. 24. Iorn.<br>cap. 32. |
| III. <i>De sagis.</i> Ll. Sax. cap. 6.<br>Iorn. cap. ii.  | VII. <i>De peierantibus.</i> Ll. Sax. cap.<br>25. Iorn. cap. 34.                        |
| IV. <i>De monetariis.</i> Ll. Sax. cap.<br>14. Iorn. cap. 20.   | VIII. <i>De has leges non exequenti-<br/>bus.</i> Ll. Sax. cap. 26. Iorn.c.33.          |
| V. <i>De ordalio se siftere spondenti-</i>  | IX. <i>De legum latoribus &amp; loco.</i> Ll.<br>Sax. cap. vlt. Iorn. cap. 35.          |

C A P I T V L A.

I.

**E**go Æthelstanus rex, ex prudenti Vlfhelmæ archie-  
piscopi aliorumque episcoporum meorum consilio,  
summopere iis omnibus qui in ditione nostra sunt præfe-  
ctis per sacrosancta Dei omniumque sanctorum numina,  
& pro mea in eos benevolentia, mando & præcipio, vt  
præ ceteris iustas ex meo ipsius proprio, ac debitas pen-  
dant tam viuorum animalium, quam annuorum terræ  
prouentuum, decimas: id quod singuli episcopi, senato-  
res, præpositi præterea nostri faciunto. Episcopi autem, &  
præpositi nostri omnes qui sedent in alias iudices, sub ea-  
dem formula iudicia exercento, atque hæc omnia ad eum  
quem in hoc condiximus diem ( festum scilicet Ioannis  
Baptistæ capite truncati anniuersarium ) conficiunto.

Porro autem nobiscum cogitemus, atque animo dili-  
genter expendamus, quod Deo dixerit pater excelsus Ia-  
cob: *Decimas meas & hostiam pacificam offeram tibi:* & quod <sup>Gen. 13.</sup>  
Dominus in euangelio fatus est: *Omni dabitur habenti,* & <sup>Matth. 25.</sup>

*is abundabit.* Recolamus præterea quæ in hoc ipso minaciter scripta sunt libro: *Si decumas dare noluerimus, sola nobis remanente decima, nouem detrahentur partes.* Sermone etiam admonemur diuino terrenis cælestia, & caducis his nostris æterna illa promereret. Quandoquidem igitur audistis quid Dominus iubeat, quidque nos exequi debeamus, ea mihi vos tantummodo comparetis velim, quæ iuste ac legitime parare possitis. Neque enim mihi ad vitæ vsum quidquam iniuste acquiri cupuerim. Etenim cum ea ego vobis lege vestra omnia benigne largitus sim, ut mea mihi vos itidem concedatis prospicitote sedulo, ne quis vetrum, neve eorum aliquis qui vobis paruerit, offenditionem aut diuinam aut nostram concitetis.

*Præpositi singuli singulos alant pauperes.*

*Et seruum liberent.*

Ego Æthelstanus rex clare omnibus qui in ditione nostra sunt præpositis significo, me ex Vlfhelma archiepiscopi aliorumque episcoporum & seruorum Dei consilio, ad expianda peccata mea statuisse, ut præfectorum quisque Anglum vnum (si quidem eiusmodi quis inter eos fuerit) cibo sustentet, si non fuerit, aliunde quæsito ad hunc modum vietum subministret. Ex binis singulis villis meis quoque dantor mense, amphora farinæ vna, porci perna vna, aut quatuor denariis æstimandus aries, atque in singulos annos oportenta corporis. Libertate insuper mulctatum vnum aliquem præstinæ restituunto libertati. Atque hæc omnia pro Dei in nos omnes misericordia, nostraque in eos benevolentia, præsente illius regionis episcopo fiunto. Quin si præpositorum quisquam hoc sciens prætermiserit, triginta mulctator solidis, eaque inter opidi illius, in quo fuerit hoc prætermissum, egentes præsente episcopo multa distribuitor.

## II.

Si quis ipsa triplicis ordalii sententia in fanum irrupisse conuincatur, is, prout in libro habetur judiciali, compensato.

## III.

Sagæ, mulieres barbara factitantes sacrificia, aut pestiferæ, si cui mortem intulerint, neque id inficiari poterint, capitum poena esto. Sin omni se criminis suspicione liberae conantes, ipsa triplicis ordalii sententia in reas referantur, 120. dies in carcerem coniiciuntor: quibus peractis,

120.

ANNO CHRISTI  
918. 120. solidorum numeratione earum eas cognati custodia liberanto, atque cognatis interfecti iustum capitum eius estimationem pendunto. Illæ vero se id genus sceleris in posterum non perpetraturas esse fideiustores adhibento. Eadem habetor incendiariorum ratio, & eorum omnium qui a iuris feueritate prædones vindicare studuerint. Imo si quis furem liberare contenderit, et si quidem nemini vulnus impresserit, regi tamen eo nomine 120. solidos numerato.

IV.

Præterea autem statuimus, ut unus per omnem ditionem nostram atque idem sit nummus, eumque nemo extra opidum cudito. Atqui si monetariorum quisquam nummos corruperit, ei manus scelere violata præciditor, atque nummaria conspicienda fabrica affigit. Sin nummi adulterati postulatus aliquis criminis suspicionem diluere voluerit, carentis ferri quæstione manum sceleris puram atque immunem ostendito. Quin si ipsa ordalii sententia reus extiterit, ita uti antea a nobis dictum est fiat.

Cantuaria monetarii septem sunt, quorum quidem quatuor regi, duo præsuli, ac unus cœnobiarachæ deseruit. In ciuitate Roffensi tres sunt: regis duo, tertius episcopi. Londini sunt monetarii octo, Vintoniaæ sex, in vico Levvisio duo, in vico Aaftingo unus, Cicestriaæ unus fit, Hamtonæ duo, Vverhamiaæ duo, Excestriaæ totidem, Schaftesbyriaæ duo, ad aliud quodque opidum monetarius unus esto.

V.

Qui se ordalii quæstione examinandum obtulerit, triduo quam id sit aggressurus, sacerdotem, ut is sacra de more peragat, adito, atque interim pane, sale, aqua, & oleribus tantummodo vescitor, Missæ præterea illis ipsis diebus interesto, munusque suum offerto. Sub ipso autem quo est ordalium ingressurus die, panem eucharisticum sumito, ac iure iurando se illius de quo appellatur sceleris purum minimeque conscienti iurato. Tum si aqua gelida facienda est quæstio, ad sesquialnam funis in aquam mergitor. Sin ferro fiat cadenti, per continuum triduum ob-signanda non resignetur manus. Accusator autem, quem-

Concil. Tom. 25.

D

admodum de accusato antea a nobis dictum est, iure iurando interposito criminationem persequitor, vterque etiam iussu Dei ac sacerdotis iejunato, nec pluribus quam duodecim alteruter stipatus aduenito: quin si accusatus pluribus eo comitatus acceperit, perinde sit (ni illi discedant) atque is in iudicio cecidisset.

V I.

Si quis testato rem aliquam mercatus fuerit, quam alias deinceps quisquam suam esse contenderit, eam vendor præstet, atque in se recipiat, siue is seruus, siue ingenuus fuerit.

Die autem dominico nemo mercaturam facito: id quod si quis egerit, & ipsa merce & triginta præterea solidis mulctator.

V II.

Si quis falsum iurasse conuictus fuerit, ei postea non modo non creditor, verum sacra is etiam prohibetur sepultura, nisi quidem illius in qua is degit diœcesis episcopus, data ei in mandatis omnia modeste confecisse illum significarit. Episcopum autem loci illius sacerdos, num alter animo libenti corrigi se se atque emendari patietur, intra triginta dies certiorem facito: id quod ni fecerit, episcopum penes poenæ arbitrium esto.

V III.

Porro autem si præpositorum quisquam mandata hæc nostra exequi noluerit, aut in administratione sua fuerit remissior, suæ in regem contumacia poenas luto, atque rex feueriorem alium in hoc munere substituet. Mulctæ autem capienda munus eius loci in quo degit præpositus episcopo imponimus. Si quis denique iussa ac scita hæc nostra contempserit, pendito primo libras quinque, secundo proprii capitis æstimationem dato, tertio, si deliquerit, fortunis suis omnibus mulctatus nostri omnium amicitia priuator.

I X.

Decreta actaque sunt hæc omnia in celebri Grateleano Conclilio, cui Vulfhelmus interfuit archiepiscopus, & cum eo optimates ac sapientes ab Athelstano euocati frequentissimi.

ANNO  
CHRISTI  
928.

## LEGVM ECCLESIASTICARVM

ATHELSTANI REGIS PRISCA VERSIO  
iuxta codices manuscriptos regium & Iornalensem,  
multa quæ in Saxonico desiderantur exemplari pro-  
ferentes, ac seorsum alias discrepantes.

### TITVL CI CAPITVLORVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. <i>De decimis solicite reddendis,</i><br>&c. Ll. Sax. in procemio. Iorn.<br>cap. 1.                         | VIII. <i>De forma ordalii celebrandi.</i><br>Desideratur in Sax. & Iorn.   |
| II. <i>De censu ecclesie, quem circi-<br/>fbeatum vocant, reddendo.</i> Ll.<br>Sax. & Iorn. c. 2. in procemio. | IX. <i>Vt negotiatio non fiat die do-<br/>minica.</i> Ll. Sax. cap. 24. Iorn.<br>cap. 32.  |
| III. <i>Vt singuli regis præpositi fin-<br/>gulos alant pauperes,</i> &c. Ll.<br>Sax. cap. 3. Iorn. cap. 3.    | X. <i>De peierantibus.</i> Ll. Sax. cap.<br>25. Iorn. cap. 34.   |
| IV. <i>De infractione ecclesiarum.</i><br>Ll. Sax. cap. 5. Iorn. cap. 10.                                      | XI. <i>De officio episcopi, &amp; quid per-<br/>tinet ad officium eius.</i> Ll. Sax. o.<br>Iorn. cap. sequenti.                              |
| V. <i>De sagis &amp; veneficis.</i> Ll. Sax.<br>cap. 6. Iorn. cap. 11.   | XII. <i>Quod omni die Veneris pro<br/>rege &amp; populo cantandi sunt 50.<br/>psalmi.</i> Concil. Exon. in Ll.<br>Sax. cap. 3. Iorn. cap. 6. |
| VI. <i>De monetariis &amp; cusoribus.</i><br>Ll. Sax. cap. 14. Iorn. cap. 20.                                  | XIII. <i>De uveris &amp; uvergildis,<br/>id est capitum estimationibus.</i><br>Ll. Sax. cap. vltimo. Iorn. cap.<br>31.                       |

### C A P I T V L A.

#### I.

EGO Adelstanus rex consilio Vulfelmi archiepiscopi  
mei, & aliorum episcoporum meorum, mando præ-  
positis meis omnibus in toto regno meo, & præcipio in  
nomine Domini & sanctorum omnium, & super amici-  
tiam meam, vt in primis reddant de meo proprio deci-  
mas Deo, tam in viuenti capitali, quam mortuis frugi-  
bus terræ. Et episcopimei similiter faciant de suo proprio,  
& aldermanni mei, & præpositi mei. Et volo vt episcopi  
& præpositi mei hoc indicent omnibus qui eis parere de-  
bent: & hæc ad terminum expleant quem eis ponimus,  
id est decollatio sancti Ioannis Baptistæ.

Cogitemus quid Iacobus pater dixit Deo: *Decimas & hostias pacificas offeram tibi.* Et Dominus ipse dicit in euangelio. *Concil. Tom. 26.*

D ij

*Matth. 25.* gelio: *Omnibus habenti dabitur, & abundabit. Recolendum quoque nobis est quam terribiliter in libris positum est: Si decimam dare nolumus, aut auferantur nobis nouem partes, & decima sola relinquatur.*

ANNO  
CHRISTI  
918.

### II.

Et volo ut cyriscsceatta reddantur ad illum locum cui recte pertinent, & inde gaudeant in ipsis locis qui haec dignius erga Deum & nos volunt deseruire. Hortatur nos sermo diuinus æterna cum terrenis, cælestia cum caducis promereri. Nunc auditis quid in Deo præcipiam, & quid completere debeatis. Facite etiam ut mihi mea propria cupiatis, quæ mihi recte poteritis acquirere. Nolo aliquid iniuste mihi conquiratis: sed omnia vestra concedo vobis eo tenore quo mihi mea similiter exoptetis. Cauete simul & vobis, & eis quos admonere debetis, ab ira Dei & transgressione mea.

### III.

Ego Adelstanus rex notifico præpositis meis omnibus in regno meo, quod consilio Vvolfelmi archiepiscopi mei, & omnium episcoporum meorum & Dei ministrorum, ad remissionem peccatorum meorum, & acquisitionem vitæ æternæ, volo ut pascatis omni via pauperem vnum Anglicum indigentem, si sit ibi, vel alium inueniatis. De duabus Nith-firmis detur eis singulis mensibus ambra plena farinæ, & vna perna, vel vnu aries qui valeat quatuor denarios, & casei quatuor: & in tertia die pascæ triginta denarii ad vestitum duodecim mensium unoquoque anno. Et liberetis vnum *urire theovne*, id est, forisfactum seruum. Et hoc totum peragatur in misericordia Dei, & amicitia mea, sub testimonio episcopi in cuius episcopatu sit. Et si præpositus hoc superteneat, emendet 30. sol. & diuidatur haec pecunia per testimonium episcopi pauperioribus qui in ipsa villa erunt vbi hoc non fuit executum.

### IV.

Et de infracturis ecclesiarum, si quis reus appareat in triplici ordalio, emendetur sicut iudicialis liber dicit.

### V.

Decreuiimus etiam de sortilegis, & liblacis, & sortem dantibus, si hominem occidunt, & negare non possint, vitæ suæ culpa iudicentur. Si pernegare velint, & in triplici or-

ANNO CHRISTI  
928. dalio culpabiles inueniantur, sint centum viginti noctibus in carcere, & cognatio earum educat eas, & emendetur regi centum viginti solidis, & occisum hominem reddit parentibus suis, & eant eis in plegium, quod super iis abstineant in æternum.

VII.

Placuit nobis ut vna moneta sit in toto regni imperio, & nullus monetet extra portam. Si monetarius reus fuerit, amputetur ei manus, & ponetur sub monetæ fabri-  
cam. Si inculpatio sit, & se purgare velit, eat ad ferrum calidum, & allegiet manum ad caniferam quod non falsum fecit. Si in ordalio reus fuerit, fiat ei quod supradictum est. In Cantuaria sunt octo monetarii regis, quatuor episcopi, tres abbatis: & in Roucestria tres regis, duo episcopi. In London octo, in Vvinton sex, in Levves duo, in Ha-  
stingecestria unus, in Scheastbury duo, in Oxonia duo, & in aliis burgis.

VIII.

Si quis iudicium ferri vel aquæ vadauerit, accedat ante tribus noctibus ad presbyterum qui sanctificare debet eum, & pascat se pane, & sale, & aqua, & herbis, & audiat Missas ipsorum singulorum trium dierum, & offerat, & eat ad sacrofæctam communionem ipsa die qua ordalium examinari debebit: & iuret quod iure publico sit innocens illius accusationis antequam ad ordalium veniat. Et si iudicium aquæ frigidæ sit, tunc mergatur vna vlna & di-  
midia in fune. Si ferrum calidum sit, tres noctes transeant antequam inquiratur, & videatur manus eius, & prosequatur omnis homo compellationem suam præ iuramento, sicut supradictum est, & sint vterque ieuni ex præcepto Dei & archiepiscopi; & non sint in alterutra parte amplius quam in alia: & hoc sit vtrobique duodecim homines. Si autem accusatus homo maiorem defensionem habeat quam duodecim hominum, sit ipsum ordalium fractum in eo, nisi recedere velint ab illo.

VIII.

De ordalio præcipimus in nomine Dei, & præcepto archiepiscopi, & omnium episcoporum meorum, ne aliquis intret ecclesiam postquam ignis infertur unde iudicium calefacere debet, præter presbyterum & eum qui ad

D iiij

iudicium iturus est. Et sint mensurati nouem pedes a staca vsque ad mercam ,ad mensuram pedum eius qui ad iudicium ire debet. Et si aquæ iudicium sit , calefaciat donec excitetur ad bullitum , & sit alfetum ferreum , vel æreum , vel plumbeum , vel de argilla , & si *anfealt tybla* sit , immergatur manus post lapidem ,vel examen vsque ad *vvyrfle* , & si triplex accusatio sit , vsque ad cubitum . Et quando iudicium paratum erit , ingrediantur ex vtraque parte duo homines , & certi sint vt ita calidum sit , sicut prædictimus , & introeant totidem ex amba parte , & consistant ex vtraque parte iudicij de longo ecclesiæ , & sint omnes ieuni , & ab vxoribus suis se continuerint ipsa nocte , & asperget presbyter aquam benedictam super eos omnes , & humilient se singuli ad aquam benedictam , & det eis omnibus osculari textum sancti euangelii , & signum sanctæ Crucis . Et nemo faciat ignem diutius quam benedictio incipiat , sed iaceat ferrum super carbones vsque ad ultimam collectam : postea mittatur super staplas , & non sit illic alia locutio quam vt precentur sedulo Deum Patrem omnipotentem , vt veritatem suam in eo manifestare dignetur : & bibat accusatus aquam benedictam , & inde conspergatur manus eius qua iudicium portare debet , & sic adeat . Nouem pedes mensurati distinguantur inter ternos . In primo signo secus stacam teneat pedem suum dextrum . In secundo transferat dextrum pedem , in tertium signum , quando ferrum proiicit , & ad sanctum altare festinet , & insigilletur manus eius , & inquiratur die tertia si munda vel immunda sit intra sigillationem , & qui leges istas fregerit , sit ordalium , id est iudicium vel examen , fractum in eo , & reddat regi centum viginti solidos Vvitæ .

IX.

*Qui* aliquid emit , emat cum testibus : & si appellandum inde sit , recipiat hoc venditor suus a quo emit , sit liber , sit seruus , sit quod sit : & non fiat aliqua negotiatio , vel forensis actio die dominica . Si quis hoc præsumat , perdat ipsum capitale , & emendet overhirnessam meam .

X.

*Qui* falsum iuramentum iurabit , & conuictus inde fuerit , nunquam postea iuramento dignus sit , nec in sanctificato atrio aliquo iaceat , si moriatur , si non habeat epi-

ANNO  
CHRISTI  
918. scopi testimonium in cuius diœcesi sit, quod poenitentiam excepit: & presbyter hoc referat episcopo infra triginta noctes, vtrum ad emendationem & satisfactionem venerit. Si non faciat hoc, componat sicut episcopus ei concedet.

Totum hoc institutum & confirmatum est in magna Synodo apud Greateleyam, cui archiepiscopus Vulfelmus interfuit, & omnes optimates & sapientes quos Athelstanus rex congregare potuit.

XI.

Episcopo iure pertinet omnem rectitudinem promovere, Dei videlicet ac sæculi. In primis debet omnem ordinatum Dei instruere, quid ei iure sit agendum, & quid sæcularibus iudicare debeant. Debet etiam sedulo pacem & concordiam operari cum sæculi iudicibus qui rectum velle diligunt, & in compellationum adlegiationem docere, ne quis alii perperam agat in iureiurando vel in ordalio.

Hæc ex  
manuscri-  
pto Iorna-  
lensi.

Nec pati debet aliquam circumuentionem iniustæ mensuræ, vel iniusti ponderis: sed conuenit ut per consilium & testimonium eius, omne legis scitum, & burgi mensura, & omne pondus, ponderis sit secundum dictiōnem eius institutum, valde rectum.

Ne quis proximum suum seducat, pro quo decidat in peccatum. Et semper debet Christianus prouidere contra omnia quæ prædicta sunt; & ideo debet se magis de pluribus intromittere, ut sciat quomodo grex agat quem ad Dei manum custodire suscepit, ne diabolus eum laniet, nec malum aliquid superseminet.

Nunquam enim erit populo bene consultum, nec dignæ Deo conseruabitur, vbi lucrum impium & magis falsum diligitur. Ideo debent omnes amici Dei quod iniustum est eneruare, quod iustum est eleuare: non pati ut propter falsum & pecunia quæstum se forisfiant homines erga vere sapientem Deum, cui displicet omnis iniustitia.

Christianis autem omnibus necessarium est ut rectum diligent, & iniqua condemnent, & faltem sanctis ordinibus euecti, iustum semper erigant, & praua deponant. Hinc debent episcopi cum sæculi iudicibus interessi iudi-

Episcopi  
debent in-  
teresse sæ-  
cularibus  
negotiis.

ciis ne permittant, si possint, vt illius aliqua prauitatum germina pullulauerint.

ANNO  
CHRISTI  
918.

Et sacerdotibus pertinet in sua dioecesi, vt ad rectum sedulo quemcumque iuuent, nec patientur, si possint, vt Christianus aliquis alii noceat, non potens impotenti, non summus infimo, non prælatus subditis, non dominus hominibus suis, vel seruis aut liberis molestus existat. Et secundum episcopi dictio[n]em, & per suam mensuram conuenit, vt serui testamentales operentur super omnem sciram cui præst.

Et rectum est, vt non sit aliqua mensurabilis virga longior quam alia, sed per episcopi mensuram omnes institutæ sint, & exæquatae per suam dioecesim. Et omne pondus constet secundum dictio[n]em eius: & si aliquid controuerfiarum intersit, discernat episcopus.

Et vniuersusque domini neceſſe proprium est, vt compatiatur, & condescendat seruis suis, sicut indulgentius poterit, qui a Domino Deo empti sunt, æque cari seruus & liber, & omnes eodem precio redemit: & omnes sumus Dei necessario serui: & sic iudicabit nobis, sicut ante iudicauimus eis quibus iudicium super habuimus in terris.

### XII.

Singulis quoque diebus Veneris decantent omnes Dei ministri in omnibus cœnobii seu maioribus ecclesiis quinquaginta psalmos pro ipso rege, & omnibus ei audientibus, nec non aliis quibuscumque promerentibus.

Vnicuique etiam qui voluerit fas esto, si quid criminis ei imponatur, iam compensare, ni in lustrationis diebus (quas *Gang-dayes* vocant) sit commissum: & deinceps res se habeat sicut prius.

### XIII.

Regis vveregildum est cum Anglis in iure publico, triginta millia Thrimſa, id est Trium. Quindecim millia Thrimſa sunt de vvera. Et quindecim millia Cynedomas, id est regiae censuræ. Ipsum natale eius precium pertinet cognationi: & Cynebot ipsius terræ nationi.

Archiepiscopi & \* comitis vveregildum est quindecim millia Thrimſa.

Episcopi & \* aldremanni octo millia Thrimſa.

Messe-

\* Quem  
ducem  
nunc vo-  
cant.  
\* Qui  
nunc co-  
mes dici-  
tur.

ANNO CHRISTI  
918. Messetheines & vvoruldtheines, id est presbyteri &  
secularis Taini, duo millia Thrimfa.

Hæc immediate sequuntur præcedens capitulum de vveregildis,  
in regio codice.

\* id est, legē **A**LIQVANDO fuit in Anglorum \* laga quod populus  
& leges consilio regebantur, & tunc erant sapientes  
populi, magni prorsus nominis & precii: comes & villa-  
nus, tainus, & aliis, singuli pro modo suo.

Et si villanus excreuisset ut haberet plenarie quinque <sup>villanus.</sup>  
hidas terræ suæ propriæ, ecclesiam & coquinam, timpana-  
riam, & ianuam & sedem, & sunder notam in aula regis,  
deinceps erat taini lege dignus.

Et si tainus ascendisset ut seruiret regi, & equitatus sui <sup>Tainus.</sup>  
vice fungeretur in familia sua, si tunc habeat tainum qui  
ad ut vvaram regis quinque hidias haberet, & in aula regis  
domino suo seruiret, qui tertio venisset in nuntium eius  
ad regem, iste poterat deinceps iurare pro domino suo in  
magna necessitate, & accusatorem eius recte admallare  
vbicumque opus esset. Et qui sic promotum hominem  
non habet, ipse causam suam superiuret vel amittat.

\* id est, mercator **E**t si tainus prouehatur ad consulatum, sit postea di-  
gnus rectitudine comitis & honore: & si \* maliere ascen-  
deret ut ter magnum mare transfretaret, per proprium  
negotium suum fuit deinde taini dignus rectitudine.

Et si scholaris profecisset in doctrina, cur ad sacros or- <sup>Scholaris.</sup>  
dines pertransiret, & Christo Domino ministraret, erat  
denique dignitatis & pacis dignus, quāta pertinebat super  
illud, nisi forisfaceret cur ipsius ordinis officio non vtatur.

Et si eueniret ut ordinatus vel alienigena disturbaretur <sup>ordinatus.</sup>  
alicubi verbis vel operibus, tunc pertinebat regi & episco-  
po hoc emendare quam citius possent.

\* id est, rusticæ stimatio. **C**eorles vveregildum est in mircenorum laga 200. sol.  
Taini vveregildum est sexies tantum, id est, duodecies  
centum solidi.

Regis simplum vveregildum est sex tainorum, vve-  
regildum in mercenorū laga, hoc est, triginta millia  
sceatta, id est, totaliter centum viginti libræ. tantum est  
de vveregildo, sed pro regni dignitate debet addi tan-  
tumdem in kenegildo. Ipsam vveram debent habere pa-

Concil. Tom. 25.

E

34 LEO C.GRATELEANVM. HENRICVS I. IMPERATOR.  
P.VI. ATHELSTANVS R. ANGLIE.

rentes eius, & eius emendationem ipsius terræ populus.

\* *Tvvelfhindes hominis iusurandum, contra valet iusurandum sex villanorum, quia si hvvelfhindus homo vindicari debet, plene vindicaretur in sex ceorlis, & eius vveregildum est sex ceorlorum vveregildum.*

ANNO  
CHRISTI  
928.  
qui  
1200. fol-  
lidis ex-  
stimator.

Presbyteri  
Missa.

*Missa presbyteri & sacerdotalis taini iusurandum in Anglorum lege reputatur æque earum, & pro septem ordinibus ecclesiæ, quo sacerdos per Dei donum ascendit ut haberet, taini rectitudine dignus est.*

De septem  
ordinibus  
ecclesiæ  
compen-  
fandis.

1. **S**EPTEM sunt dona sancti Spiritus, & septem gradus ecclesiæ & sanctorum ordinum, & septies in die laudes Deo canenda sunt ab omni ecclesia. Et omnibus amicis Dei recte pertinet ut sanctam ecclesiam diligent & honorent, & Dei ministros pacificate custodire gaudeant, & qui eos nocebit verbo vel opere, septies emendet secundum quod factum sit, & secundum ordinem, si Dei misericordiam habere velit, quia sanctificationes & ordines, & Deo dicatas domos, semper debent pro timore Dei diligenter venerari.

2. Et ad ordinis emendationem, si ordinatus occidatur, supra rectam vveram primus gradus emendetur una libra, & digna pœnitentia sedulo perquiratur.

3. Et ad emendationem ordinis, si vita sit amissio, super rectam vveram in secundo gradu duæ librae reddantur cum Deo digna pœnitentia.

4. ....

5. Et ad emendationem ordinis, si plena infraactio fiat, super rectam vveram in quarto gradu quatuor librae reddantur cum pœnitentia.

6. Et ad emendationem ordinis super rectam vveram in quinto gradu quinque librae componantur cum idonea pœnitentia.

7. In sexto gradu sex librae reddantur cum pœnitentia.

8. Et ad emendationem ordinis, septimo gradu infraacto, septem libris super rectam vveram emendetur cum iniuncta pœnitentia.

9. Et ad ordinis \* infraacta de pace digne componatur secundum factum. Semper enim debet iudicium factum, & moderatio secundum mensuram pro Deo & sœculo

\* deest  
emenda-  
tionem

## STEPHANI PAPÆ VII. VITA. 35

ANNO CHRISTI 928. fieri, & de emendatione ordinis vna pars episcopi , secunda sit altari, tertia societati. *Vide hæc supra sub titulo, De scris ordinibus compensandis.*

*Et in Concilio episcorum Londoniensis, cap. 12. sic habetur de congildonibus.*

\* sodali-  
rium  
\* male de-  
dit.  
\* lego  
vnum  
Et diximus etiam omnibus illis qui in nostram \* gildscy-  
ram vadium \* dederunt, si contingat \* eum mori , om-  
nis congildo det vnum panem & companagium pro ani-  
ma eius, & cantet vnum quinquagenarium psalmorum,  
vel perquirat cantandum infra triginta noctes. *Iornalenfis.*

### VITA

## STEPHANI PAPÆ VII.

ANNO CHRISTI 929.

STEPHANVS natione Romanus , Theudemundo pa-  
tre genitus , huius nominis septimus , subrogatus est  
Leoni sexto , anno Domini D C C C C X X I X . tempore  
Constantini & Romani imperatorum orientalium. Qui  
dum sedisset annos duos , mensem vnum , & dies quindecim , ex hac vita migravit. Huius tempore Henricus rex  
Germaniæ lanceam ex clavis Christi confectam , a Rodul-  
pho rege Burgundionum , precibus , precio & minis obti-  
nuit , eamque successoribus ad defensionem imperii reli-  
quit. Reges Northmannorum & Abroditarum ad Chri-  
stum conuerit. *Sigebertus.*

### VITA

## IOANNIS PAPÆ XI.

ANNO CHRISTI 931.

IOANNES patre Sergio pseudopontifice ex scoto Maro-  
zia prognatus , Vvidonis Tusciæ marchionis & Maro-  
zia matris potentia in locum Stephani intruditur , anno  
Christi 931. tempore Constantini & Romani imperato-  
rum orientalium , quo ipse nondum per ætatem tantæ di-  
gnitatis capax esse potuisset , etiam si nullum aliud impe-  
dimentum obstitisset. Artaldus ex monacho Rhemensis  
archiepiscopus electus , vir sanctissimus post puerum  
*Concil. Tom. 25.*

Ioannes  
XI. quando  
& qua ra-  
tione pon-  
tificatum  
inuaserit.

E ij